PETRI POMERANI CASLETENSIS DE STUDIIS SAPIENTIAE LIBER. AD F. FERDINANDUM...

Petrus Pomeranus


Digitized by Google

PETRVS PO-
MERANVS ALPHONSO AVALO OPTIMO AC FELICISSIMO PRINCIPI.
S. P. D.

BEne habet. Constabit hodie mihi diligentiæ perpetuæ meæ fructus certè amplissimus: nam & ego ea prorsus refutabo, quæ improbi quidam, ore illoto suo, nepharié in me confingunt: & tu ad quæ studia, filius tuus dudum sese applicuerit, cognosces quidem ac intelliges. Macte igitur animo. ALPHONSE AVALE, serua morem vsitatum tuum, & de vetere erga me affectione, nihil adhuc depone. Tu absentes nos aduersus imperitos quosdam fortiter subinde defendisti: nunc vero suscipitur ista a me dimicatio, vt cognoscant aliquando, æqui átque iniqui, te quoties testimonio luculento aliquo, industriam meam ornauisti, néque tua lapsum cupiditate, néque aliorum errore in fraudem es-

se impulsum. Atque hac sanè in parte, aut erit vita ipsa planè mihi acerba, aut discent mei illi calumniatores, quantò facerent prudentius, si iuuenem innocentem, consilium honestissimum suum, persequi finerent ac tueri. Non ego illud iam laboro, vt editione librorum euolem subitò ad hominum famam: simile enim audere, & meus me pudor vetat, & prohibet ingenii pusilli conscientia. Verùm cum plærique adeò sint inhumani, vt me hac ætate, his studiis, hoc vitæ cursu, hac animi æquabilitate, pungant tamen ac mordeant, equidem non illos a me offendi, sed exangues eorum obiectiones dissolui cupio átque infringi. Omitto cætera, dico istud tantum: mihi ocium, filio vtilitatem, tibi autem æternam pepereris gloriam, si iusseris æstuantibus illis ac iratis, vt colligant se, vt mitigent suos animos, vt desinant aspectu toruo suo formidinem mihi iniicere. Ecce præstò est discipulus, & videtur sensu tacito quodam significare, vt dicere aliquid incipiam. Ordior igitur ad hunc modum.

REFERENDA ESSE OMNIA AD ALIQVEM FINEM. Cap. I.

IN actionibus humanis FERDINANDE AVALE, & in omni vita mortalium, sane non est alia res vtilior, quàm vt iis studiis quæ quotidie a nobis exercentur, finem certum aliquem constituamus. Cum præmia ampla quædam ac lauta proposita Vlyssi essent, si vellet apud Phæaces omnem degere ætatem, nihil is commotus, solam Ithacam animo semper intuebatur. Non potuit Dido, vel specie corporis, vel imperii magnitudine, Aeneam ita delinire, vt Italiam negligeret. Legimus fuisse in more olim Cassio iudici, vt si aliquis de perpetrato scelere obscurius apud eum accusabatur, rogaret subito CVI BONO? Occasionem dedit satyræ, qui coruos testa sequitur ac luto. In summa, an non doctissimus Aristoteles subinde etiam argumentatur,

Omnem ſcientiam finem aliquem expetere? Hæc cum ſint exploratiſſima, equidem priuſquam ad literaturam hanc politiorem animum tuum traducas, neceſſe eſt prouidere te etiam atque etiam, ecquid illud ſit quod quæris, quale ſit, quam egregium ſit, quantum viæ conficere omnino debeas, antequam ceſſare poſſis, & ſuſcepta à cura, aliquam habere vacationem.

SAPIENTIAM, FINEM ESSE COMMVNIVM STVDIORVM. Ca. II.

IN ſtudiis literarum, turpiſſima eſt mediocritas, & debent homines ingenui odiſſe prorſus quotidiana illa ac vulgaria: quare tu cum loco ampliſſimo ſis natus, adhibenda eſt diligentia, vt ſenſus tuos ad maxima quæq; tollas atq; excites. Hoc rhetores fecere, hoc poetæ, hoc grammatici: hanc fiduciam puto ego concepiſſe olim omnes pene eos, quorum excellentem virtutem laudamus hodie ac miramur

ramur. Cæterùm quid poteſt mens humana vel altius optare vel illuſtrius, quàm vt ornata ſit omni SAPIENTIÆ genere? Conſtat Platonem philoſophum difficillimis reipublicæ temporibus, profectum in Aegiptum eſſe, vt a ſacerdotibus Memphyticis SAPIENTIAM diſceret: tetigit ſimilis cura Speuſippum, Euripidem, Pythagoram. Ego quoque cur exul domo, cur extorris patria, cur longè à meorum omnium complexu, hanc mihi vitam depopoſci, niſi vt traderem me SAPIENTIÆ ſtudiis? Tu igitur eundem tibi finem proponito, nullam faciens diſcendi intermiſſionem, quoad hoc decurſo ſpatio, omnem SAPIENTIAM perfectè calleas. Noſti verſiculos Horatii.

Ad ſummum SAPIENS vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

NIHIL DIFFERRE SAPIENTIAM A PHILOSOPHIA. Ca. III.

QVi hodie dicuntur philosophi, eosdem maiores nostri SAPIENTES appellabant. Variandi nominis author fuit Pythagoras: is enim cum videret inflatum esse SAPIENTIÆ titulum, & non carere eum animi arrogantis significatione, existimauit debere virum prudentem simili à fuco quàm maxime esse alienum: itáque facultatem hanc, non SAPIENTIAM nuncupauit, sed SAPIENTIÆ amorem. Vtinam nos hodie eandem seruaremus æquitatem, sane non iactarent se titulis tam ambitiosis, vilissimæ quædam simiæ. Videmus iam affluere loca omnia doctoribus ac magistris, quibus si eruditionem detraho & ingenii præstantis laudem, dii boni, quas ibi turbas cient, quæ intendunt pericula, quas minas anhelant. Certè malunt ipsi quæuis deserere vadimonia, quàm os importunum suum átque impudens.

A QVI-

A QVIBVS INVENTA SIT SAPIENTIA. Ca. IIII.

SAPIENTIA, non humanum eſt inuentum, ſed tradidere eam orbi terræ, dii immortales. Quandoquidem animi noſtri his immerſi corporibus, degenerarent ſubitò à vetere nobilitate, & abirent fœdiſsimam in naturam, niſi SAPIENTIÆ ope niterentur. Primi igitur homines, quibus munus cæleſte hoc conceſſum eſt, apud Aſſyrios Chaldæi extitere, apud Indos Gymnoſophiſtæ, Druidæ apud Gallos, apud Græcos Muſæus, Linus, Orpheus. Hos longo interpoſito tempore, ſequuti demum ſunt, Thales, Anaximander, Anaxagoras, qui quanquàm erant præceptis SAPIENTIÆ leuiter ſolùm tincti, ex eà tamen facultate, nomen ampliſſimum retulerunt. Tandem verò diuinus ille Socrates, ipſa hæc ſtudia deducta cælo, oſtenſa generi mortalium, tractata ante &

multa a paucis, toti pene Graeciae prostituit. Ita habet. Quae laudabilia sunt, ac primae omnino notae, ea exiguo orta principio, adolescunt sensim, & per tardos quosdam progressus, vix tandem iustam ad magnitudinem euadunt. Nempe cui obscura est sententia vulgata illa. NVLLAM ARTEM VNO AB AVTORE ET INVENTAM ESSE ET PERFECTAM? Quis nescit prodidisse olim. M. Varronem à scientiis inchoatis, ad scientias absolutas, sexcentos propè annos intercessisse?

QVID SIT SAPIENTIA. Ca. V.

SAPIENTIA cognitio est diuinarum átque humanarum rerum, sic definiuere Stoici eam, teste Plutarcho. SAPIENTEM verò seu philosophum eum appellat M. Antonius, qui studet naturae totius vim, effecta, causásque nosse, & omnem bene viuendi rationem tenere ac persequi. Haec cum

cum adeò ſint comperta, vt negari a nemine poſſint, me ama, quàm agunt illi inclementer, qui SAPIENTIAM de ſua deturbantes poſſeſſione, ita eam ſpoliant, ac exhauriunt, vt velint ipſi de patrimonio amplíſſimo ſuo, nihil fieri reliquum, præter cauilloſa neſcio quæ, ex Ariſtotelis Metaphyſicis. Sanè auſim iurare ego, tales homines néque ſiccos eſſe néque ſanos: & deberet vel edicto prætoris, vel actione aliqua recuperatoria, importunitas eorum coherceri.

QVO PACTO DIVIDATVR SAPIENTIA. Ca. VI.

SAPIENTIA, authore Simplicio, aut ſpeculatrix eſt, aut dicitur operaria. Complectitur SAPIENTIA ſpeculatrix, partes quatuor. Logicen, Phyſicen, Mathematicen, Theologiam. Operaria autem tres continet ſcientias, Ethicen, Oeconomicen. Po-

liticen. Hæc si voles paulò exprimere ornatius, refer te ad sermonem luculentum illum M. Ciceronis, is enim L. Crassum, iisdem de rebus, copiosissimè facit disputantem. Soleo ego, venerari subinde optimæ naturæ, mirabilem ergà nos propensionem: illa enim cum hominibus ea cumulatè tribuisset, quibus possent hanc vitam sine aliqua exigere offensione, præstitit mox, vt animi nostri soluti, incitati, acres, vacui sordida à cogitatione, extrà corporeum hoc domicilium longissimè peregrinati, ad mentem diuinam, facilem; haberent aditum. Felices animæ, quibus hæc cognoscere tantùm.

Inque domos superas scandere, cura fuit.

QVID SIT LOGICE. Ca. VII.

LOgicen, plærique è recentioribus Sermocinalem traduxere, duriusculè id quidem,

& parum fortasse populariter, idoneo tamen vocabulo, atque a quo ego, prima ab adolescentia, minime fui abhorrens. cur enim pudeat ea vti dictione, quam scriptores assidui aliquot ac locupletes, extare suis in libris voluerunt? Comprehendit Logice artes tres: Grammaticen, Dialecticen, Rhetoricen. Facit Grammatice, vt quæcunque eloquimur, recta sint ac sine vitio. Dialectice, vt sint probabilia. Rhetorice, vt dignitatem habeant & copiam. Hodie multos videbis literatores, quibus si dixeris, prima loquendi rudimenta, partem esse Logices, soluentur in cachinnum, & te oculis abditis suis, quasi imperitum e doctorum hominum familia exturbabunt: sed tu, permitte illos sua frui insania.

QVID SIT PHYSICE. Ca. VIII.

DIcta est Physice, à natura: versatur enim circa insitas earum rerum motiones, quæ

apparent ſenſibus. Nulla ſcientia néque prolixior eſt, néque è materia tam diſſimili coagmentata: & arbitror ego hoc ipſum eſſe in cauſa, quamobrem Ariſtoteles à priſcis illis hominibus Δαιμόνιος ſit vocatus: nemo enim præcepta naturalia vel certius tradidit vel accuratius. Duplex eſt Phyſice: vna, quæ oſtendit qua lege & generentur, & intereant, corpora hæc denſiora: altera, quæ docet rationem, cauſam, viciſsitudinem, conuerſionem cœli átque aſtrorum omnium. Deflendum eſt, hodierno die paucíſsimos reperiri, qui ſe ad hæc adiungunt ſtudia, cum nulla ſit doctrina elegantior, iucundior, vtilior. Olim certè & poetæ iſtam tractabant materiam, & erat familiaris omnibus propè eruditis, nunc autem in ſcholis átque in exedris vix quatuor inuenias pannoſos, qui rerum naturalium veſtigationem ſuſcepere.

QVID SIT MATHEMATICE. Ca. IX.

MAthematice, ipſius Phyſices imitatrix eſt átque emula, adeò vt ritè aſſeueratum à Platone ſit, poſſe ſcientiam hanc, plæráque efficere opera, cognata quidem & affinia iis, quæ edit natura: hinc tripodes vulcanii, hinc ſtatuæ mercuriales, hinc columba lignea Architæ, hinc res prodigioſæ illæ, quas accepimus feciſſe olim, Seuerinum Boethium. Vult Anatolius accepiſſe nomen Mathematicen, a diſcendo: ea enim cum incredibilem habeat obſcuritatem, eget certè doctore aliquo ac lumine. Subiecere ipſi authores græci, partes quatuor. Geometriam, Arithmeticen, Aſtronomiam, Muſicen. Explicat Geometria, magnitudines orbis huiuſce inferioris. Arithmetice, numeros. Aſtronomia, dimenſiones cæleſtes, Muſice, rationem enharmonicam, & condecentiam quandam vocum. Addi-

dere Opticen etiam Apollonius ac Vitellius: sed miror ego eosdem illos, de audiendi facultate, posteris nihil reliquisse: cum perspicuum sit Aristotelem suis in problematis, frequenter de ea disserere.

QVID SIT THEOLOGIA. Ca. x.

THeologia, eadem est cum Metaphysice: docet autem Metaphysice, quid sit deus, quid intelligentia, quid animus humanus, quæ sacra fieri ab hominibus debeant, quæ religiones gratæ sint diis immortalibus, quibus ceremoniis elicere possimus æterni numinis beneuolentiam ac amorem. Huius disciplinæ vix tenue atque exile quoddam simulachrum expressit olim Aristoteles. Plato verò multis eam commentariis tradidit, & obtinuit simili industria, vt θεῖος summa omnium voluntate appellaretur. Ecce tibi Habes nunc SAPIENTIAM

 omnem

omnem ſpeculatricem: recenſui hactenus officia eius ac partes. Tu puer chariſſime, ità animum inducito, nunquam te ad VERI cognitionem euaſurum, niſi his artibus veſtigatis prius & auditis. Longum meherculè ac difficile eſt quod aggredimur, verùm ſi procul omnem eiecerimus mollitiem, feremus aliquando noſtra certè optata. Perſona tua literas triuiales illas non ſuſcipit.

DE SAPIENTIA OPERATRICE. Ca. XI.

QVæſitis VERI differentiis, & luſtrato iam naturæ totius opificio, conferes te eam ad curam, vt poſſis illud etiam aſſequi, quid bonum ſit, quid malum, quid æquum, quid iniquum, quid cum honeſto conſpiret, quæ res turpitudinem habeat ac infa-

dit, & abundanter, quid expetere debeamus, quid fugere: quibus legibus constituenda sit domus, quid adiuuet mortalium vitam, quæ incommoda societatem humanam dissoluant ac labefactent. Disciplinam hanc moralem, docui abire ego, tres in partes, quarum vna, solum instrueret hominem: altera, familiam: tertia ciuitatem & rempublicam. Ista omnia si animo hodie es complexus, quid nobis vel lautius est vel beatius? Restat illud solùm, vt tu quasi aliqua è specula obserues quidem ac prospicias, quantum iter sis ingressus, quàm longam susceperis profectionem, quot laboribus ingenium tuum exercere debeas ac subigere, si voles SAPIENTIÆ opinione clarus esse atque excellens. Non sunt eruditi illi, qui pallium habent & supercilium, qui rixantur in Scholis, qui tanquam ranæ quædam stoicæ, in circulis, in foro, in conuiuiis, odiosâ & profluente sua loquacitate, omnibus sunt molesti, sed iudicabis tu similes

miles

miles homines, ludibria esse populi, hostes salutis communis, procellas ocii ac iucundissimæ tranquillitatis.

EPILOGVS OMNIVM SAPIENTIÆ PARTIVM.
Ca. XII.

ILle verò qui sibi Philosophi appellationem vindicabit ac sumet, habebit omnia ea quæsita, lecta, tractata, quæ grammatici, dialectici, rhetores, quæ Physici & Mathematici, quæ historici ac magistri vitæ infinitis docuere voluminibus. Deus, spiritus ætherei, anima, sol, Zodiacus, & cuius ambitu terra latè includitur cœlum, adhæc elementa, plantæ, lapides, animalia, quicquid iacet in terræ visceribus, quicquid in aere apparet & in sublimi, postremò virtutes, vitia, forma imperii, ratio domestica, sanè cuncta ista percepta is & notata

ens, aut vocari.

REFVTATIO EORVM, QVÆ CONTRA SOLENT OBII-CI. Ca. XIIII.

NOn sum nescius, quosdam hac in republica, illud ferre acerbissime, quod te vix puerum, vix primis idoneum literis, vix ætate ad decimum prouecta annum, onerauerim repente disciplinis adeo multiplicibus. Taceo pædagogos, ac turbam magistrorum, qui domi apud discipulos, concionibus furiosis suis, inique me exagitant. Prætereo calamistratos istos & vnguentis delibutos, qui dum helluantur, dum ludos faciunt, dum hilaritatibus & commessationibus spurcissimis dant operam, dii immortales, quam crudeliter meam oppugnant famam? Venio ad illa quæ propius mihi sunt nota: ego, quoties te etiam audiente, hac oratione sum reprehensus? Quid


agis

agis Pomerane, cur puerum hunc is perditum? cur peruerse eum instituis? cur doces ipsum grandia illa, & quæ ingenii vnius angustiæ, minime possunt capere? Cur relinquis epistolas Ouidii, præcepta moralia Catonis, regulas Guarini? cur non ista potius tuo inculcas discipulo, quam Ciceronem, Fabium, Platonem? Cur nullo more, nullo exemplo, nulla hominum consensione, nouum docendi ius introduxisti? Non credis tu summam esse impudentiam, excedere ea è via, quam tenent vniuersi, & nolle maiorum ire itineribus? Hoc sermone cum viderem omnia quotidie impleri, sane adductus essem magnam in dubitationem, & mutauissem sententiam, nisi cognouissem eum ordinem quem ego studiis tuis descripseram, cum natura ac rebus ipsis, mirabilem habere cognationem. Itaque non acquieui ego illorum monitis, sed reclamaui voce altissima: non habuere

rum, pugnacem, refractariolum? Cur enim paucorum sequutus libidinem, dederem me similem in nexum? cur tales mihi frenos iniicerem? cur parerem ebriorum potius & bacchantium somniis, quàm consiliis prudentum? Efferant ipsi ac ostentent se egregio suo instituto, dicant exiisse me de potestate, volitent tota vrbe distenti ac farti, ego vsuram vitæ prius certè amittam, quàm hanc abiiciam cogitationem. Nunquid Aristoteles his artibus Alexandrum suum expoliuit? Nunquid Cicero, suum illum oratorem, scientiis omnibus cumulatum esse & instructum voluit? Nunquid Fabius ætati teneræ, Musicen tradit ac Geometriam? Nunquid Possidonius, Galenus. Eustratius hoc docendi artificium constanter olim tenuere? Quam igitur frontem, aut quod os illi adferunt furciferi, qui me contempta veterum disciplina, noua quædam atque inusitata facere vociferantur? Veniet credo aliquis e barbatis istis & horridis, is

puerum

puerum in ſuam abſtractum carnificinam ſic erudiet. Litera eſt pars minima vocis. Hîc ego tuum exquiro iudicium, quod emolumentum capiet puer hac è definitione, ſi ignorat ipſius vocis naturam ac originem? Infinita ſunt quæ poſſum dicere, & habeo campum ampliſſimum, vbi meas probem rationes, ſed erit tempus, cum in moroſos illos & omnia faſtidientes multò inuadam effrenatius. TU FRANCISCE FERDINANDE AVALE, arripe iam átque amplectere literas has ſuauiores, contine te in tuis perennibus ſtudiis, vrge, inſta, preme, non ſomnus, non vita lautior aliqua ac ſolutior, non rei ipſius magnitudo animum tuum hac a contentione abducat.



FINIS.